



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. XLVI. De dimidio laudemio de nouennio in nouennium soluendo. Cuius temporis æstimatio respici debeat, & quomodò fiat. Vtrùm debeatur à Monasterio non expectatâ morte naturali religiosi, tam de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

Oportet igitur aliqua alia ratione motum fuisse testatorem, dum liberis post 25. annum à religio-
ne recedentibus nihil amplius legavit: forte quia reli-
giosi Societatis Jesu possunt post prima vota di-
mitti, & post ann. 25. suæ ætatis solent ad sacerdo-
tium promoveri. Cogitabat ergo testator sacerdo-
tes post 25. annum effectos, majores & ampliori le-
gato non indigere, ideo liberis sacerdotibus profes-
sis, vel non professis, nihil amplius relinquere voluit.
Addatur quod testator dictis liberis ante 20. an-
num decedentibus, substituit liberos ipsorum maf-
culos primogenitos, servato semper ordine primo-
genituræ; ita ut potius ad familiæ conservationem,
quàm in odium religionis id fecisse videatur: Atque
ita insequendo communem DD. opinionem quæ hodie
est receptissima, videtur concludendum quod testato-
rem minùs relinquere potuisse liberis in religione
perseverantibus, quàm in sæculo manentibus: prout
ultra DD. superius relatos servari testatur Mantie. de
conject. ult. volunt. lib. 11. tit. 18. num. 32. versic. sed con-
trariam opinionem, & alii relati per Fontanell. d. pact.
dotalib. claus. 4. glof. 2. num. 34. & 35. Cancer. lib. 1.
variar. resol. cap. 24. n. 11. & seq. Sanch. in præcept.
d. calog. lib. 7. cap. 15. n. 6.
11 Neque obstat si dicatur conditionem tetrahentem
à nuptiis nullam esse, & pro non scripta habendam,
l. quoties 22. l. cum tale 71. §. Maria, & l. Titio, si
nuptierit 99. ff. de condit. & demonstr. ergo & indi-
stinctè rejiciendam esse conditionem, si religionem in-
gressus fueris: cum valeat argumentum à matrimo-
nio carnali ad spirituale. Quia argumentum illud
non procedit quando in utroque diversa est ratio,
prout in hoc casu licet enim status religionis sit per-
fectior, tamen status matrimonii utilior est bono
communi Republicæ, propter procreationem libe-
rorum: & idèd hoc in casu, ab uno ad aliud non
bene infertur, ut explicat Sanchez de matrim. lib. 1.
disp. 34. n. 11. Duran in tract. de condit. impossib. part. 2.
cap. 3. num. 32. status enim religionis potius respicit
privatum ingredientis, quàm commune Republicæ
bonum, ut per Duran. & Sanch. locis citatis.



CAPUT XLVI.

De dimidio laudemio de novennio in no-
vennium solvendo, cujus temporis æsti-
matio debeat respici, & quomodo fiat.
Utrum debeatur à monasterio, non expe-
ctatà morte naturali religiosi, tam de jure
communi, quàm de jure Gallico.

SUMMARIUM.

- 1 Emphyteusis in Ecclesiam vel alias manus mor-
tuas transferri non potest, & num. 3.
- 2 Dominus in concessione emphyteutica potest appo-
nere pacta sibi benevola.
- 3 Amortisatio quid sit in Gallia, & unde duxerit
originem, & quomodo ab indemnitate dis-
ferat.
- 4 Solutio dimidii laudemii unde duxerit originem,
& quod in sola consuetudine rationabili fun-
datur.
- 5 Dominus directus cogere potest Ecclesiam ad ven-
dendam rem emphyteuticam.
- 6 Si tamen eam in emphyteutam approbaverit, potest

Tom. I. Pars I.

vigere consuetudinis petere indemnitate di-
midii laudemii.

- 8 Quando Dominus directus cogit manum mortuam
ad vendendum, non debetur laudemium ex
illa venditione.
- 9 Dominus directus non habet jus prelationis tem-
pore solutionis novennii, cessante conven-
tione.
- 10 Solutio dimidii laudemii, seu renovatio emphyteu-
seos, non est nova acquisitio.
- 11 Novus titulus non dicitur qui procedit ex causa
necessaria in renovatione emphyteuseos.
- 12 Valor bonorum inspicitur de tempore redemptionis,
quando nullum fuit definitum pretium.
- 13 Jus prelationis si competat longe post contractum,
æstimatio fit juxta tempus quo fit prelatio.
- 14 Æstimatio fieri debet juxta tempus ad quod dif-
ferretur executio contractus, & quo nascitur
actio.
- 15 In evizione attenditur æstimatio temporis, quo
contingit evictio.
- 16 In æstimando bona ad effectum dimidii laudemii,
attendi debet valor de tempore solutionis.
- 17 Æstimatio fieri debet de tota re, & non per par-
tes.
- 18 In æstimatione domorum debet haberi ratio expen-
sarum, qua fiunt pro illorum conserva-
tione.
- 19 Res emphyteutica non debet nisi libera æstimari,
sed cum suo onere.
- 20 Onera realia in æstimatione rei deducenda sunt.
- 21 Domus an æstimentur ex fructibus, an ex com-
muni valore.
- 22 Quid in domibus rusticis, quomodo illarum æsti-
matio facienda.
- 23 Emphyteusis, an durante vita monachi transeat
in monasterium.
- 24 Durante vita monachi non debetur per monaste-
rium laudemium Domino directo.
- 25 Consensus Domini non requiritur in alienatione &
lege inducta.
- 26 Quid si adsit pactum de non alienando in manus
mortuas.
- 27 In Gallia monasterium non succedit, & si bona
possideat, statim debet amortisationem.

Quando bona emphyteutica in Ecclesiam, vel in
aliam manum mortuam transferuntur, variæ
quæstiones inter ipsam & Dominos directos oriun-
tur, quarum decisio erit in praxi utilissima.

In primis igitur supponendum est, quod emphy-
teusis regulariter in Ecclesiam, vel in aliam manum
mortuam alienari non potest, cum vigore pacti quod
in omnibus ferè recognitionibus appositum reperit-
tur, quo emphyteuta promittunt Dominis directis
rem emphyteuticam non transferre in potentiores,
nec in manus mortuas, vel in personas à jure prohi-
bitas; & cum permillum sit cuilibet in concessione
rei suæ apponere pacta sibi benevola, quibus non ob-
servatis, emphyteuta privatur jure suo: Joseph. Lu-
dovici. decis. Perus. 22. num. 7. & seq. Corbul. de
jure emphyteut. tit. de causa privat. ob inobservant.
pact. num. 1.

Tum etiam ex juris communis dispositione, cum
Ecclesia & similes dicantur potentiores & privile-
giatæ, in quas emphyteusis alienari non potest: Ja-
lon in l. final. num. 97. Cod. de jur. emphyteut. Cor-
bul. in tit. de caus. privat. ob alienationem, ampliat. 12.
sub num. 1. versic. persona autem. Ludovici. decis. 529.
num. 6. & seq.

F 2 III

* In Gallia verò dum Rege consentiente bona transeunt ad Ecclesiam, tunc dicitur fieri amortisatio. Quia jure quidem antiquo apud Gallos Ecclesia non erat capax bonorum, insequendo morem ipsius in primæva nascentis origine, dum omnia bona inter pauperes distribuebantur: cap. *futuram Ecclesiam*, 12. q. 1. prout fusè prosequitur Guillelm. Benedictus in cap. *Raynuitus*, de testam. in verb. *Et uxorem nomine Adelaisiam*, decis. 1. numero 268. Et in effectu, *Levi non habuit partem, neque possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio ejus est*: tamen successu temporis permixta est personis Ecclesiasticis bonorum emphyteutica possessio, obtemperata à Regibus licentia & dispensatione quam vocant *Amortissement*, ut notavit Bacquet *du droit d'Amortissement*, cap. 40. data tamen indemnitate compensatione aliqua vel Regi, vel Dominis directis, ut ibidem notatur. Quod autem Regi ipsi persolvitur, nuncupatur *droit d'Amortissement*. Quod verò Dominis aliis directis, vocatur *droit d'Indemnité*: de quo etiam jure loquitur Gasp. Roder. de ann. reddit. lib. 2. quest. 22. num. 34.

5 Quemadmodum autem in Gallia, ita & in aliis partibus introductum est, ut pro Domini indemnitate, manus mortuæ aliquid certo definito tempore persolvant: veluti decimoquinto quoque anno, ut in regno Valentia, prout testatur Hieron. Leo decis. *Valent.* 77. num. 8. Apud nos verò jus illud indemnitate præstari solet dum bona devenerunt ad manus mortuas, veluti Ecclesias, Collegia, Civitates, & similes, de novennio in novennium: & tunc de consuetudine hujus patriæ solvitur dimidium laudemium, quod potius in consuetudine quam de jure communi fundatum esse testatur Leo d. decis. 77. num. 7. & 9.

6 Non tamen ideo credendum est, quod alienatione in manus mortuas veluti Ecclesiam facta, Dominus directus prohibeatur cogere ipsam Ecclesiam, aut aliam manum mortuam ad vendendum rem emptam, vel aliter acquisitam, quinimod hoc ipsi licitum est, ut fusè explicatur per addent. ad Ludovis. decis. 520. n. 14. Barbosa in cap. *potuit*, n. 169. de locat.

7 Sed si Dominus directus non reclamaverit, dabitur illi actio pro sua indemnitate ad consequendum jus consueti laudemij dimidij, aut alterius summæ Dominis directis tempore præfixo exigi solitæ, ut dicit Leo d. decis. 77. num. 6. dicens quod si Dominus recipiendo censum ab Ecclesia, fuerit exclusus à jure cogendi illam ad evacuandum; non tamen excluditur à jure cogendi illam ad solvendam compensationem sibi debitam ratione amortisationis.

8 Dum autem Ecclesia, aut alia manus mortua cogitur vendere, non debetur Domino directo laudemium ex illa venditione, cum sit alienatio necessaria ex qua nullum debetur laudemium, prout sæpè in facti contingentia vidimus observari; & hoc juri consentaneum est, ex traditis per Amad. à Ponre quest. *laudem.* 26. fusè Burg. de laudem. part. 2. in specul. 1. num. 13. cum pluribus per eum allegatis.

9 Solvente autem manu mortua dimidium laudemium Domino directo de novennio in novennium, vel aliam indemnitatem, modo & tempore juxta regionis consuetudinem solui solito: frustra prætenderet Dominus (nisi adesset particularis conventio in contrarium, concedens hanc facultatem Domino directo:) sibi competere jus prælationis, cum illud ex dispositione l. *final. Cod. de jur. emphyteut.* non competat nisi quando agitur de nova acquisitione, & quando mutatur emphyteuta, ut probatur per text. in d. l. *final.* ibi, *Alienare, vel jus emphyteuticum in*

alium transferre. Item ibi, *melliorationes suas aliis vendere, vel jus emphyteuticum in alium transferre.* At qui solutio ista dimidij laudemij seu alterius indemnitate, quamvis renovationem contineat recognitionis, non dicitur nova acquisitio, sed continuatio vel renovatio prioris. Gratian. *discep. forens.* 913. num. 22. Et cum non proveniat ex aliqua causa voluntaria, sed necessaria, non potest haberi pro novo titulo. Rot. decis. 201. n. 19. part. 7. recent. Non potest igitur locus esse juri prælationis in favore Domini directi.

Sed duæ notabiles in hac materia occurrunt questiones. Prima quomodo debeat fieri aestimatio bonorum emphyteuticorum, ad effectum liquidandi illud dimidium laudemium, quod Domino Directo pro sua indemnitate penditur: utrum habito respectu ad valorem bonorum juxta pretium conventum in contractu venditionis, an verò habito respectu ad tempus solutionis dimidij laudemij; & alias quomodo fieri debeat aestimatio. Ego alias in casu proposito dixi, aestimationem bonorum tam ad effectum juris prælationis quam dimidij laudemij, quod Domino directo quolibet novennio (non quidem ex juris dispositione, ut mox dictum est, sed ex consuetudine, vel ex peculiari conventionione) competebat, fieri debere juxta tempus novennij, & non juxta tempus acquisitionis. Quoad jus retentionis feudalis, in prælationis, regula generalis est, attendendum esse ad valorem tempore redemptionis, quando nullum certum pretium est definitum: ut notavit Rip. in l. 1. ff. de priu. leg. credit. num. 21. in fin. ubi dicit, quod si fuerit dictum, quod aliquis poterit retrahere rem pro pretio quo fuit distracta, standum est certo: si verò fuit simpliciter dictum, quod possit retrahere, hoc intelligitur pro justo & communi pretio: si autem fuerit dictum, quod quis præferatur aliis omnibus, hoc intelligitur de pretio quod ab aliis repetiri poterit: quæ etiam videtur esse sententia Turbelli de retrah. consanguinit. §. 1. gloss. 18. num. 18. ex qua doctrina Ripæ, Covarruvias lib. 3. varia. resolut. cap. 14. num. 6. versic. *Quæritur prætermis*, & infra, quod si quis exerceat jus prælationis statim post primam venditionem, debet haberi ratio pretij illius temporis: quod si ex intervallo, ex aliqua speciali causa emptor alteri rem emptam vendere cogatur, tunc justum pretium & aestimatio debetur, nec habetur ratio pretij illius temporis quo res vendita fuit: quia hæc retentio, licet originem doceat ex prælo præambulo, tamen nec datur actio, nec petitio ante declarationem domini directi: & propterea inspicenda est aestimatio illius temporis, quo retentionem petere & exercere dominus potest: per text. in l. si hominem, ff. mandari, l. quoties in diem 56. ff. de verb. oblig. ubi dicitur, quod si quis oleum in diem vel sub conditione promiserit, ejus aestimationem spectare oportet eo tempore quo dies obligationis venit: & ratio ibi redditur his verbis. *Tunc enim ab eo peti potest*; addit Glossa, cum effectum: quasi dicat quod licet antea contracta sit obligatio, non tamen datur actio & petitio eum effectum: & ideo eo tantum tempore fit aestimatio, quo oleum peti potest: atque ita declarat Marian. Socin. in l. 1. pulcrum, num. 264. ff. de verb. oblig. volum. 6. Repetitur.

Accedit præmissis, quod quando executio contractus confertur in tempus futurum, tunc non attenditur tempus contractus, sed tempus executionis. Pinell. in l. 2. de rescind. vendit. part. 3. cap. 4. num. 6. Sicut in evictione valor attenditur, qui est tempore evictionis. Surd. consil. 52. numero 50. & in retrovenditione attenditur pretium temporis illius, quo fit retrovenditio. Surd. ibidem, num. 51.

16 Et istis considerationibus motus Dixi, in æstimando valore bonorum ad effectum solvendi dimidij laudimij (nisi aliter conventum fuerit) debere attendi pretium temporis solutionis: cum generaliter in æstimacione faciendâ attendi debeat tempus & locus quo fieri debet solutio, d. l. quoties 59. ff. de verb. oblig. & ibi DD. maxime Alexand. & l. si hominem 37. ff. mandat. & in l. vinum, ff. si cert. petat. & ita in propriis terminis consuluit Æmilius Ferrer. consil. 2. i. ubi dicit quod communitas Masani tenetur solvere dimidium laudimium Domino illius loci pro molendino, habita ratione ad fructus & redditus qui percipiuntur ex illo molendino de tempore novennij, quo fieri debebat renovatio & solutio dimidij laudemij: quam sententiam sequitur Burg. in tract. de laudim. part. 2. in præf. 6. num. 26.

17 Æstimatio autem rei emphyteuticæ fieri debet hoc casu de tota re, prout tota valet; & non per partes: l. Mævius, §. final. & ibi Bartol. ff. famil. er. disend. Idem Bartol. in l. si ex falsis, Cod. de transact. Glos. & Bart. in l. 1. ff. commun. divid. Pinel. in l. 2. part. 3. cap. 4. num. 54. Cod. de rescind. vendit. Oltrad. consil. 235. quem sequitur Tusc. littera E, consil. 670. ubi quod totum æstimari debet ut quoddam totum ex partibus collectum; non autem ut singulas partes, nec habito respectu ad partes, quantum qualibet pars per se considerata valeret: per text. in d. l. 1. Cod. commun. divid. Surd. consil. 217. num. 13. Burat. decis. 538. num. 6.

18 Et in æstimacione domorum & ædificiorum, debet haberi consideratio magnarum expensarum, quæ sunt in illarum manutentione, & reparatione. Scraph. decis. 952. num. 5.

19 Similiter res emphyteutica, ad effectum solvendi laudemium, non debet æstimari tanquam libera; sed cum onere subjectionis, tanquam emphyteutica: Amad. quæst. laudem. §. num. 1. & sic quanti valet utile dominium, sine directo.

20 Deducenda etiam sunt onera super ipsa re imposita, veluti si magnus canon emphyteuticus solveretur: Blancard. ad quæst. laudem. notab. §. num. 3. Licet etiam pro domibus, altis, & ædificiis solvendum sit laudimium: quia ædificium solo cedit, licet redditus sint parvi. Boër. decis. 19. num. 3. † Tamen, regulariter domus parvi fructus & magni valoris non debent æstimari ex valore ædificij, sed ex redditu: quia domus magnæ potius ad ornatum, quam occasione fructuum ædificantur. Joseph. Ludovif. decis. Perus. 65. num. 11. Quod non ita simpliciter verum est: non enim ædificia pretiosa ad rationem quinque pro centenariæ æstimanda sunt, ut advertit Surd. consil. 151. num. 70. sequitur add. ad Ludovif. decis. 553. num. 16. sed æstimatio fieri debet habito respectu ad materiam & formam: & videndum quanti similia ædificia in illo loco communiter venduntur, non autem simpliciter quanti materia & opere constant, nec quantos fructus reddunt: ut bene explicat Marcot. lib. 2. variar. resolut. c. 114. num. 13.

21 Æstimatio autem domus rusticæ non debet fieri principaliter, sed accessorie, in quantum redditu utilis, vel deterius prædium. Rot. decis. 457. numero 3. part. 3. recent.

Secunda quæstio, utrum emphyteuta religionem ingressus, Monasterium statim cogi possit ad vendendam rem emphyteuticam, an verò mors naturalis ipsius emphyteutæ religiosi expectanda sit; & per consequens utrum jus illud indemnitas (quod apud nos est dimidium laudimium quolibet novennio solvendum) exigi possit durante vita religiosi

Tom. I. Pars I.

† In hac quæstione Barbof. de jur. Ecclesiast. lib. 3. cap. 31. num. 11. distinguit inter emphyteusum Ecclesiasticam, & profanam. Ecclesiasticam durante vita monachi tranire in Monasterium testatur, nisi intra biennium revocetur: per text. in authent. de alienat. & emphyt. §. 1. versic. si verò contingeret. Profanam verò in monasterium vita monachi durante indistinctè transire vult. Contrarium tamen in hoc secundo capite in praxi receptum esse testatur, & quamvis agatur de emphyteusi profana, cogi posse monasterium, aut Ecclesiam ad evacuandum intra annum: ut ostendit num. 13.

Verum quod durante vita religiosi non debeat laudemium, cum bona ipso jure transeant in monasterium, probatur ex traditis per Felin. in cap. in presentia, num. 49. extr. de probat. Gratian. discip. forens. 481. num. 69. in fin. add. ad Burat. decis. 394. num. 11. quia per professionem religiosi monasterium legis potestate succedit, juxta authent. ingressi, Cod. de sacrosanct. Eccles.

Consensus autem Domini non requiritur, quando agitur de alienacione à lege inducta, per text. in l. cum pater, §. cum tuer, ff. de legat. 2. secundum unum intellectum. Glos. singularis in l. pater, §. Julianus Agrippa, ff. de legat. 3. Bartol. in l. si ita 95. §. ea lege, ff. de verb. obligat. † Sed tamen si in

contractu recognitionis aut concessionis, emphyteuta expressè promiserit se non alienaturum in manus mortuas, prout plerumque fieri solet, non videtur licita translatio in monasterium: cum sit de personis prohibitis, in l. ult. Cod. de jure emphyt. in versic. his tamen personis. Glos. in cap. potuit in verb. prohibentur, extr. de locat. Clar. in §. emphyteusis, quæst. 33. Quia per tacitam istam declinationem bonorum factam Ecclesiæ, contraveniretur pacto, quod tamen pro nunc non decido.

Sed Dico quod in Gallia cessat tacita ista bonorum dedicatio, expressa verò omnino prohibita est, & dicta authent. Ingressi, in illo regno abrogata est; & sic non succedit monasterium, etiam si adlester expressa donatio in ejus favorem facta per ingredientem. Louet. litera C, num. 8. & ibi addentes fuisse. Ita ut non posset religiosus, sive major, sive minor in Gallia in articulo suæ professionis, aliquid monasterio vel directè, vel indirectè legaret ut sancitum fuit ordinatione Regiæ Aurelianensi art. 19. & Blesensi art. 28.

Statim enim facta professione monachi in Gallia pro mortuis habentur, & uti ex familia exclusi reputantur: ut in dict. addit. ad Louet litera C, numero 8. Ergo statim in Gallia non expectata morte naturali Monachi, cogi potest monasterium ad dimittendum vel ad solvendum dimidium laudimium suo tempore, nempe finito novennio, aut alias juxta loci consuetudinem.



CAPUT XLVII.

De jure cappæ, quod soluitur in receptione Canonicorum, & de validitate statuti quo jus istud solui mandatur, & utrum valida sit consuetudo solvendi aliquid officiniis capituli in ingressu. Quod si duo ad sine colligantes, quorum unus tantum capitulariter receptus sit, utrum duplex jus cappæ debeat. Obligatio fidejussoris

F 3 pro